

Spiritus, cujus auctor esse perhibetur Robertus Franciæ rex apud Trithemium, et Durandum, lib. iv, cap. 22, circa annum 1003, vel Hermanus Contractus, Germaniæ monachus, *De ligno vitæ*, lib. v, cap. 70; Merati tamen, tom. I, part. iv, tit. 12, num. 18, dicit probabilius esse, fuisse dictam sequentiam compositam ab Innocentio III et ab eodem in Missali insertam, cum in ejus operibus reperitur.

(84. In missa festi Corporis Christi et totius ejus octavæ dicenda est sequentia *Lauda, Sion, Salvatorem*, cujus auctorem esse S. Thomam Aquinatem dicit Gavantus, part. i, tit. 10, rubrica 3, litt. R, et tenent etiam alii. At vero Rioche, l. iv *Compend. tempor.*, cap. 71, col. 3; Petrus Antonius a Venetiis in *Viridario seraphico*, italice conscripto, tom. II, part. v, in *Operibus* editis a S. Bonaventura, citans Pisanum in suo catalogo, et Oldoinum apud Ciaconium, tenent ab ipso sancto Bonaventura fuisse compositam.

(85. In missa SS. Nominis Jesu et totius ejus octavæ ubi celebratur recitanda est a Fratribus Minoribus sequentia *Lauda, Sion, Salvatorem*, cujus auctor videtur dicendus vulgo beatus Bernardinus de Bustis, cum ipse, ut tradit Petrus Antonius de Venetiis, l. c., cap. 5, multa addiderit ejus Officio composito a S. Bernardino Senensi post insignem ejus victoriam Romæ obtentam; ab aliis autem sacerdotibus, sive sæcularibus, sive regularibus etiam capellanis, seu confessoribus non Franciscanis monialium ordinis Minorum est omittenda, ut recte docet sapientissimus Merati, t. I, p. iv, tit. 4, n. 4, referens quod in concessione facta præclarissimæ Societati Jesu, anno 1701, 1 Oct., expresse dicitur: « Exclusa tamen sequentia; et de facto ab aliis omittendam esse dictam sequentiam respondit novissime sac. Rit. congregat. in *Burgen*, 23 Junii 1736, et in *Meclinen*, 16 Februarii 1737. Vide in t. IX, *Decreto S. R. C.*, n. 1011.

(86. In missa festi Septem Dolorum B. M. V. et totius ejus octavæ, ubi celebratur, recitanda est sequentia *Stabat Mater dolorosa*, cujus auctorem esse vulgo beatum Jacobum, seu Jacoponum a Tuderto ordinis Minorum refert dictus Petrus Antonius a Venetiis, l. c., c. 5, ubi insuper dicit fuisse ab ipso etiam compositum nobile canticum de contemptu mundi, incipiens *Cur mundus militat sub vana gloria*, allatum sub verb. *Monus*.

(87. In missa feriæ V in Cæna Domini non datur pacis osculum; ex Ordine Romano, in detestationem osculi Judæ. Alcuin., *ibid.* Gavant. et Merati, tom. I, part. iv, tit. 8, *De feriæ v in Cæna Domini*, n. 4, ubi Gavant. addit quod in tertio *Agnus Dei* dicitur: *Dona nobis pacem*, contra editionem Venetam in officiis parvis hebdomadæ majoris in quibus antiquo Ritu notatur quod habet Durand., l. iv, c. 52, tertio dicit *Miserere nobis*; nam Missale vult dici de more, quamvis pax non detur.

(88. Item in missa feriæ vi in Parasceve non datur Pax; ex Ordine Romano, in odium

dicti osculi Judæ. Amalat., lib. i, cap. 13; Gavant. et Merati, l. c., part. iv, tit. 9, rubrica 18, litt. Q. Tum quia nullum hac die fit sacrificium, ex Albaspineo, lib. i, *De veterib. ritib.*, observat. 17. Unde nec dicitur *Pax Domini*, nec *Agnus Dei*, quia ordinantur ad pacem dandam, ut patet in tertio *Dona nobis pacem*.

(89. In missa autem sabbati sancti non datur Pax, ex Ordine Romano, quia nondum dixerat Christus apostolis *Pax vobis*; Gavant. et Merati, l. c., t. X, rubric. 38, litt. M. Nec dicitur *Agnus Dei*; ex Ordine Romano et *Sacrament.* Gregor. ob silentium mulierum quæ nondum credebant Christo Redemptori animarum ad tollenda peccata mundi. Durand., lib. vi, cap. 8, Gavant. et Merati, *loc. cit.*, litt. N., post Alcuinum ibi allegatum.

(90. Missæ in quibus solus sacerdos communicat reprobari non possunt, Benedict. XIV, tom. I, constit. incip. *Certiores*, § 1*. Quia tamen non defuerunt temerarii quidam pseudo theologi, qui nihil a Benedicti XIV Encyclica commoti falsum illud de necessitate communionis populi dogma novis libellis confirmare ausi sunt, ut Nannaronius et Traversarius, eorum commentarios Roma jure ac merito confixit*. Missam celebrantes non tenentur S. eucharistiam omnibus peccatis infra ipsam actionem ministrare. Idem, *ibid.*

(91. Ad episcopos pertinet præscribere ea quæ observanda et evitanda sunt in celebratione missæ; iisque tanquam Apostolicæ Sedis delegatis omnes etiam exempti hac in re obedire tenentur. Idem tom. II, constit. 17, incip. *Accepimus præstantium**. Intellige modo episcopi a Romani Missalis rubricis pro commentitia quadam auctoritate quam episcopus S. Pontii Petrus Joannes Persin superiore sæculo propugnare, aliisque persuadere frustra conatus est, edito libro: *Du droit et du pouvoir des évêques de régler les offices divins dans leurs diocèses*, sibi discedendum non duxerint*. (92. In missarum celebratione Crucifixi imago super altari retineri debet in memoriam Dominicæ passionis et mortis. Idem, *ibid.* Alia ad rem vide verb. *Cruce*.

(93. Missa celebrari nequit a sacerdote Latino ritibus Græcis, nec vice versa, sub pœna suspensionis. Id., const. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 1. (94. Missarum celebratio permittitur Italo-Græcis in feriis Quadragesimæ cum conditionibus et limitationibus, nempe servatæ, nec prætermissæ in parochialibus ecclesiis præsanctificatorum ritu et excepto postremo triduo majoris hebdomadæ. Idem *ibid.* (95. Missa unica in die super quolibet altari à Græcis celebrari potest. Idem, *ibid.*, et constit. 87, incip. *Demandatam*, § 8. (96. Permittuntur tamen erigi plura altaria in eadem ecclesia et plures sacerdotes super eodem altari simul celebrare. Idem *ibid.*, § 9. (97. Missam applicare potest pro offerentibus eleemosynam sacerdos Græcus, qui cum alio ritu concelebrat; concelebrare tamen non dicitur, nec sacrificium applicare potest pro

offerentibus eleemosynam, qui particulas tantum adjicit in præparatione panis ante missam. Idem, *ibid.*

(98. Missa præsanctificatorum duntaxat celebrari potest apud Græcos in Quadragesima, exceptis diebus Dominicis et sabbatis. Id., *ibid.*, cit. § 9. (99. In missis præsanctificatorum non fit transsubstantiatio vini per immersionem particulæ consecratæ et confutatur hac de re error schismaticorum. Idem, tom. II, constit. 3, incip. *Declarasti*. (100. Missa præsanctificatorum iterari non potest, etiamsi in priori omisus fuerit haustus vini non consecrati. Idem, *ibid.*

(101. Addendum est quod antiphona *Communio* cantari debet immediate post *Agnus Dei* eodem tempore, quo celebrans sacram communionem sumit, nisi fiat communio populi, quia tunc ad eam cantatur. Gavant., part. i, tit. 13, n. 1; Bauldry, part. III, cap. 7, tit. 13; Searlanton., part. II, tit. 10, n. 11, et novissimum Cæremoniale provinciæ reformatæ Mediolani impressum anno 1744, cap. 21, n. 519, ubi ad id citatur etiam Cæremoniale episcoporum lib. II, cap. 9, uti ipsum etiam citat Bauldry, licet id tangat Cæremoniale episcoporum in cap. 8.

(102. Attendendum est differentiam intercedere inter missam cantatam, et missam solemnem; quando enim præscribitur missa cantanda, sufficit illam cantari cum assistentia solius acolythi; at quando mandatur cantari missa solennis, cani debet cum assistentia diaconi, et subdiaconi. Cum enim in una *Neapolitana celebratione missarum* prætenderetur Patres Carmelitis non adimplevisse onus sibi injunctum, canendi quotidie unam missam ex quo illam cantassent sine assistentia diaconi, et subdiaconi, et causa fuisset proposita in sacra congregatione Concilii sub die 28 Augusti 1683 nec ipsa die resoluta, et reposita sub die 29 Januarii 1684, sub hoc dubio: « An missa quotidie cantanda debuerit, et debeat cantari cum assistentia diaconi, et subdiaconi, vel solius acolythi? » Eadem sacra congregatio reflectens, quod onus erat unius missæ cantatæ, et non unius missæ solennis, respondit: « Satisfactum fuisse, et satisfieri voluntati testatoris, cantando missas etiam sine assistentia diaconi et subdiaconi. » (103. Sic refert et tenet cardinal. Lambertini. dein Sum. Pontif. Bened. XIV, vol. V, notif. 17, § 7, ubi insuper refert, fuisse decisum, quod electio diaconi et subdiaconi pro missa solenni canenda a parochio, vel ab alio sacerdote a se deputato in ecclesia confraternitatis, seu pro inibi danda benedictione, pertinet ad ipsam confraternitatem, et non ad se; proposito enim in sacra congregatione Concilii hoc dubio: « An parochus, vel interveniens ad canendam missam, vel dandam benedictionem, habeat jus sibi eligendi diaconum, subdiaconum, ceterosque ministros, » eadem sac. congregatio in *Bononiens.*, die 15 Maii 1728, respondit: *Negative*.

(104. Attento decreto S. R. C. 2 Septemb. 1741, de quo infra art. 14, n. 88, et tom. IX,

inter *Decreta S. R. C.*, n. 1102, patet, posse in missa dici plures orationes quam tres. Et quidem etiam quinque, aut septem ad libitum, ut expresse habetur in Missali, rubrica 9, *De orationibus*, n. 12, ibi: « In festis simplicibus, et feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum. » (105. Tres autem orationes præscribuntur in honorem SS. Trinitatis, et in memoriam Christi, qui tertia die resurrexit, et ter oravit in orto; quinque in commemorationem quinque plagarum ejusdem Christi; et septem vel septem petitiones Orationis Dominicæ, vel ad obtinenda septem dona Spiritus sancti. (106. Sic Innocentius III, l. i, c. 27; *Micrologus*, cap. 4; Merati, *loc. cit.*, n. 11; Cavalieri, *loc. cit.*, c. 11, n. 7 et alii. (107. Nec septenarius orationum numerus videtur posse excedi, cum loquendi modus, quem servat cit. rubrica missalis, « Possunt etiam dici septem ad libitum, » videatur satis indicare numerum, ultra quem progredi non possit, quamvis non utatur taxativa *tantum*, quæ tamen semper debet subintelligi, nisi oppositum exprimat, quando determinatur quantitas, ut recte notant Megalium, tom. II *Variarum resol.*, resol. 158, et Cavalieri, cit. c. 11, n. 6, ne in infinitum detur processus, et ne indiscreti sacerdotes per ulteriorem additionem tædio afficiant adstantes, et ne fideles ob tædium avertantur ab auditione missarum. (108. Tales autem orationes, ut vult allatum sacre congregationis decretum, *curandum est, ut sint numero impares*. Nec obstat aliud ejusdem sac. congregationis decretum editum 2 Decembr. 1684, in una *canonicorum regul. Lateranensium*, his verbis: « Non est omittenda una ex assignatis orationibus in missa, veluti tertia *A cunctis*, si secunda esset de festo simplici, ut ejus loco dicatur oratio imperata, veluti *Deus refugium*; sed post tertiam orationem *A cunctis*, potest et imperata dici, cum in missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva, non sint necessario dicendæ collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem. » In hoc enim decreto nulla fit mentio de missis defunctorum. Unde *cum expediat concordare jura juribus*, textu expresso in cap. *Cum expediat*, 29, De elect., in 6, videtur dicendum, quod hoc decretum velit, non necessario esse dicendas collectas impares in missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva, cum in his missis numerum parem, puta quatuor, aut sex possint exigere commemorationes secundum ritum, vel imperate faciendæ, quod non potest recurrere in missis pro defunctis, et ideo decretum anni 1741, 2 Septembris, vult, in istis curandum esse, ut orationes sint numero impares, quod de facili potest in his adimpleri, cum numerus impar pendeat a libertate celebrantis, ubi in illis pendet quandoque numerus par a necessitate ritus, vel superioris imperio.

(109. Missa, et officium, sub ritu SS. doctorum, S. Leonis I Papæ decernitur a Be-

nedicto XIV, constitut. incip. *Militantis*, § 3, ubi statuitur, ut in officii divini Breviario in festo S. Leonis Papæ, et confessoris, antiphona ad *Magnificat* in utrisque vesperis ponatur ea, quæ incipit, *O doctor optime*; in missa autem dicatur Introitus in medio *Ecclesiæ*; et post collectam subsequatur lectio libri *Sapientiæ*: *Justus cor suum tradet*, cum graduati, ut in communi doctorum; post Evangelium vero dicatur *Credo*; reliqua, ut in consueta missa de sancto Leone.

(110. * Sacerdotibus latini ritus in Russia Polonica degentibus, tam presentibus, quam futuris conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis, missam celebrent super Antimensiis Ruthenorum unitorum. Ritu tamen latino sacrum agere istis injunctum est. Sunt Antimensia hintei quidam episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis sanctorum reliquiæ reconditæ sunt. Bened. XIV, const. 43, incip. *Imposito nobis*.

(111. Commentitia est distinctio inter rubricas præceptivas, et instructivas, sed omnes sunt præceptivæ, licet aliquæ ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligent Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 13, § 3.

(112. Nulla urgente causa, leve est peccatum celebrare missam privatam non recitatis Matutino, et Laudibus. (Vide verb. MATUTINUM, a n. 19 ad 23.) At si de missa conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante Matutinum, et Laudes eam celebraret, nempe ante eam partem officii in choro celebratam. Sicut et peccato gravi se obstringeret, qui perpetuo, et quasi ex animo statuisset, nunquam missam celebrare, Matutino cum Laudibus recitato. *Ibid.*, § 4.

(113. Si contingat ut sacerdos, dum missam celebrat, subito morbo corripiatur, vel mortuus concidat, vel hoc accidat ante consecrationem, nec tunc opus est missam ab alio continuari; si vero post consecrationem unius, vel utriusque speciei, tunc supplenda est missa, et quidem ex præcepto a sacerdote, initio inde sumpto, ubi alter desiit, et si prior ille sacerdos adhuc vivat, et capax sit sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est, ut ex rubricis *Miss.*, *ibid.*, § 4 et 5.

(114. Sacerdos missam suppleturus præstare id potest, si alius non adsit, etiamsi non sit jejunos, quin etiam si in statu gratiæ non versetur; tunc enim quærendus ab illo est confessarius, et si non reperiatur, eliciendus est actus contritionis, atque ita comparatus missam perficiat. At si neque centeri possit, neque missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia et calix reponeudi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex rubricis et DD. *ibid.*, § 7 et 8. Ex hoc conficitur, quod laico, si fuerit præsens, hostia illa, et calix dari non potest, *ibid.*, § 6.

(115. Si sacerdote missam celebrante vio-

letur, vel polluat subitò templum, ante inceptum canonem, missa intermittenda est; eo vero incepto, perficienda; ut ex rubricis; *ibid.*, § 12.

(116. Si, dum celebratur, incidat subita irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem, deservenda est missa: post consecrationem, sumendum statim sacramentum, omissis aliis cæremoniis. Si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest sacerdos hostiam statim sumere, et abire, nisi forte in casu, quo Christianæ religionis hostes in contemptum ejusdem religionis minitentur sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat. *Ibid.*, § 14.

(117. Superveniente excommunicato non tolerato, missa, si nondum perventum est ad canonem, vel ut quidam volunt, ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est, post consecrationem perficienda. Sed sumpta communionem, reliqua perficienda sunt, vel in sacristia, vel in alio loco decenti. *Ibid.*, § 14.

(118. Rite pariter interrumpitur missa, etiam interruptione longa vel ad baptizandum infantem moriturum, qui alioqui sine baptismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret; vel etiam, ad extremam unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset a sacerdote, ut sacramentum interim diligenter custodiatur, et cum redierit, resumenda missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa. *Ibid.*, § 15.

(119. Si recitatus jam Evangelio, et Symbolo, superveniat vir princeps, sive laicus, sive ecclesiasticus qui missam die festo non audierit, negant plures doctores posse ex integro missam resumere. *Ibid.*, § 16.

(120. Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem missæ non sunt obligandi sacerdotes, si parochi, seu episcopi consueverint præstare, ut hæc administratio fiat in altari, ubi adservatur SS. eucharistia extra missam. Encyclica ad episcopos Italiæ incipit. *Certiores effecti*.

(121. Sacerdotes sæculares in ecclesiis regularium illorum missam legere vetantur, sed utendum est illis Missali Romano, ita tamen, ut possint de sancto, de quo regulares illi agunt officium, missam recitare, eam desumendo ex communi Missali Romano, ut pro capellanis, et confessariis monialium decrevit S. congregatio, Clemente XI decretum approbante, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 23, § 1, et *Instit. eccles.*, inst. 34, § 20.

* (122. Sacerdotes tamen sæculares celebrantes in ecclesiis totius ordinis S. Augustini possunt recitare missas proprias sanctorum illius ordinis, ut ex rescripto sancti mem. Clementis XIV, 18 Junii 1773, per secretariam supplicum libellorum edito; et SS. D. P. Pius VI eamdem facultatem concessit celebrantibus in ecclesiis ordinis Minorum S. Francisci 5 Sept. 1775; Carmelitarum Excalceatorum 14 Augusti 1777;

Carmelitarum antiquæ Observantiæ 2 Junii 1778, et in Ecclesiis totius ordinis S. Benedicti 12 Februarii 1780, per eandem secretariam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

123. Missa, ut monet etiam auctor num. 1, debet esse conformis officio diei, « nisi gravis causa excuset; » tum quia cap. *Quidem*, De celebr. missar., reprehenduntur sacerdotes, qui officio diei prætermissio frequentius celebrant missas, quas *votivas* dicimus; tum quia non semel a sacra Rituum congregatione prohibitum est quominus missæ votivæ in festis solemnibus, et duplicibus celebrentur.

(124. Dixi « nisi gravis causa excuset, » propterea quod in exsequiis ex. gr. præsentem corpore, debet missa de defunctis celebrari.

(125. Cautè vero intelligendus est auctor, dum eodem num. 1 ait: « Nisi pro aliqua causa et obligatione debeat legi votiva. » Ex his enim verbis videtur sequi, quod sacerdos, qui ratione beneficii, vel stipendii tenetur missam celebrare, ex. g. de beata Virgine, vel de defunctis, eam indistinctè celebrare queat diebus etiam Dominicis, et festis duplicibus. At non concurrente expressa voluntate fundatoris, recte monet Habert, *De eucharist.*, cap. 16, quæst. 1: « Sacerdotem, qui ratione beneficii vel stipendii tenetur missam celebrare de B. Virgine, seu de defunctis, posse, imò debere Dominicis et festis duplicibus sacrum facere de die; quia præsumitur fundator Ecclesiæ filius juxta matris præscriptum suam legatum instituisse. »

* Hoc ipsum diserte tradit Lucius noster, artic. proximo, num. 4, quod miror ab auctore additionum non fuisse animadversum*.

(126. Quid vero, si expressa sit voluntas fundatoris, ut festis etiam duplicibus celebraretur missa de B. Virgine, vel de defunctis; ita ut recurri nequeat ad dictam præsumptionem? Tolerari posse celebrationem missæ de B. Virgine, vel de defunctis, si festa illa simplicia non sint de præcepto, relato decreto S. cong. Rituum, tradit Pasqualig., *De sacrif. miss.*, tom. 1, qu. 249, num. 2.

(127. Major difficultas est, an id ipsum tolerari queat in feriis privilegiatis, et in diebus infra octavam, quibus cadunt etiam officia duplicia; negat mox laudatus auctor *ubi supra*, num. 3.

ARTICULUS XIII.

De observandis in missis votivis

SUMMARIUM.

1. Missa unde dicatur votiva? — 2. Missa, votiva licita est, si adsit rationabilis causa pro ipsa celebranda. — 3. Missæ votivæ private non possunt dici in festo duplici, etiamsi tale duplex esset translatum. — 4. Item nequeunt dici die Cinerum, septimana sancta, in vigilia Nativitatis Christi et Pentecostes, in vigilia Epiphaniæ, infra octavas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes, infra octavam Corporis Christi, infra octavam Nativitatis Christi, et in omnibus anni Dominicis. — 5. Votivæ solemnes,

FERRAR. V.

et pro re gravi, et causa publica celebrari possunt etiam in festis duplicibus de præcepto, et Dominicis, exceptis Dominica prima Adventus, feria IV Cinerum, Dominica prima Quadrag., Passionis, et Palmarum usque ad fer. III Paschæ inclusive, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes, cum duobus festis sequentibus, Nativitate Domini, Epiphania, Ascensione, Corpore Christi, et omnibus solemnitatibus primæ classis. — 6. Res gravis pro licita missæ votivæ solemnem decantationem cum *Gloria*, et *Credo* ea est, pro qua convenit totus clerus cum episcopo; vel apud regulares in eorum comitiis generalibus, vel provincialibus, et cum cantatur missa pro re, eorundem iudicio, gravi. — 7. Item pro expositione 40 Horarum pro tempore cantatur missa votiva de SS. sacramento cum *Gloria*, et *Credo*, et unica oratione, exceptis Dominicis et festis 1 et 2 classis, ac feria 4 Cinerum, et feria 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, quibus diebus cantatur missa de officio currenti cum commemoratione SS. sacramenti sub unica tantum conclusione. — 8. Et si cantanda est alia missa, durante expositione, licet sit conventualis, debet cantari in alio altari. — 9. Neque in altari expositionis debent celebrari missæ private cujuscunque ritus. — 10. Et missæ private, si officium est duplex, debent celebrari de officio currenti cum commemoratione SS. sacramenti. — 11. Vel si non est duplex, votivæ de sanctissimo sacramento sine *Gloria*, et sine *Credo*. — 12. Sacerdos missam privatam celebraturus, dum transit ante SS. sacramentum, facta adoratione utroque genu, et aperto capite, surgens se cooperit. — 13. Missæ votivæ solemnes pro re gravi, et causa publica canendæ sunt cum *Gloria* et *Credo*, nisi adhibeantur paramenta violacea, quia tunc debet omitti *Gloria* et *Credo*. — 14. Missæ votivæ nunquam sunt celebrandæ cum *Gloria* et *Credo*, nisi fuerint missæ angelorum, in quibus quotidie est recitandus hymnus angelicus; vel Missæ de B. M. V. in quibus quolibet Sabbato dici debet *Gloria*, sed sine *Credo*. — 15. In votivis dicitur semper psalmus *Judica*, et ad Introitum, et *Lavabo*, semper *Gloria Patri*, etc. etiamsi esset missa de Passione, etiam infra hebdomadam Passionis, licet hæc omnia omittantur in missa de tempore. — 16. Præfatio dicitur propria, si habeatur; alias dicitur de tempore, vel de octava, vel de communi. — 17. Quod procedit etiam infra octavam Nativitatis Christi, si votiva habeat præfationem propriam. — 18. *Communicantes*, et *Hanc igitur*, si votiva dicatur infra octavam, quæ illa habet propria, dicuntur de octava; et in fine dicitur semper Evangelium S. Joannis. — 19. Infra octavam non celebratur votiva de eo de quo est octava, sed dicitur missa festi conveniens officio cum *Gloria* sine *Credo*; quod si sit infra octavam B. M. V. et fiat officium de aliquo sancto, pro votiva de B. Maria Virgine, debet dici missa de octava, sed more votivo sine *Gloria* et sine *Credo*; nisi fuerit sabbatum, quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. — 20. Qui in sabbato recitat officium de B. M. V. si celebret votivam de aliquo sancto, non debet dicere *Gloria*, neque præfationem B. M. V. — 21. Ob missam votivam non est omitenda missa conventualis, neque potest introduci consuetudo in contrarium. — 22. Imò abrogatur consuetudo non cantandi missam in die ultra votivam. — 23. Et licet in illis ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi missam votivam de B. V. Maria singulis diebus sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari, etiam in sabbatis festo duplici impeditis; non est tamen omittenda missa conventualis, ad n. 24. — 25. Alia satis summarie referuntur, ad n. 36. — 37. Missæ votivæ an dici possint de beatis nondum canoniz. ad n. 39. — 40. Alia ad rem ad n. 49.

(1. Missa dicitur votiva non simpliciter a voto quo quis se obstringit ad talem missam